Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2091
Quelle:
Copyright:

temporis officia incohant. Et primo Dominica prima in aduentu domini. Ordo *Missalium* vulgatus; variant tamen quandoque Rubricae. Ita *fol.* 14. p. 2. praescribitur: *Si uigilia natiuitatis domini in dominicam euenerit, officium dominicale priuatim per sacerdotem ad priorem missam cantetur. Fol.* 277. p. 2. Orationes tres pro avertenda Morte subitanea inscriptae sunt: *Pro immortalitate hominum.* Inter Picturas singularis illa Initii, qua *David* genu flexo aeterno Patri Filium in forma Pusiunculi offert; splendida vero et ingens illa ad *Canonem Christi* cruci adfixi cum Adstantibus, in cujus margine quadrato auro fulgente formis quibusdam aurum hebetantibus et oculos facile fugientibus impressi sunt hi tres Versus:

Aspice mortalis. Fuit unquam passio talis?
Peccatum spernas, pro quo mea vulnera cernas.
Ut vivas, morior. Non est dilectio maior.

Ad calcem opportune: *Finitus est presens liber missalis secundum rubricam chori Salczburgensis. littera antiqua correcta beneque distincta exaratus per Joannem von werd de Augusta Anno a partu uirginis salutifero Millesimoquadringentesimo nonagesimo quindecimo kalendas martij. de quo sit laus et honor cunctipotenti. intemeratæque uirgini eius matri. et totæ curiæ celesti supernorum ciuium.* Dixi *opportune;* nisi enim adjectus esset scriptionis annus, facile quis majorem aetatem adrogaret Codici. Hinc etiam cum ratione dixit Librarius, se *littera antiqua* usum, quae cautio servire potest antiquorum Codicum tractatoribus, ut quae vis sit imitationis, probe semper meminerint.

DCCCLV.

C. 942 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 190. 4. maj. per duas columnas luculente exaratus, literis initiorum deauratis, picturisque variis admodum scite decoratus *Missale* est e Parthenone *Halensi Tyroleos* adlatum, scriptum vero in *Bohemia*, ut e Festis in *Calendario* praevio adnotatis, e *Pragensis* Capituli cathedralis Insigni cum *fol.* 70. tum *fol.* 129. adpicto, demum e *Missa* pro defuncto archiepiscopo *Zbinkone fol.* 187. p. 2. liquet, qui *Zbinco de Zagicz*, seu *Hasenburg* obiit *Posonii* 1410. unde scriptionis tempus conjectes. *Calendario* subjecta sunt artifici penicillo Signa Zodiaci, e quibus mense *Septembri* Librae inter utramque lancem addita Litera W radiata, quod eo mense D. *Wenceslai* memoria agitur. Missalis is ordo est, ut Missas de Tempore excipiant propriae Sanctorum; tum communes, *Canoni* praefixa est Imago Servatoris cruci, ut solet, adpensi adstantibus *Maria* et *Johanne*, infraque